



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Quomodo se debeat disponere ad ingressum in Religionem is, qui ad eam
vocatur à Deo. Cap. VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

CAPVT SEPTIMVM.

Quomodo se debeat disponere ad ingressum in Religionem, is, qui ad eam vocatur à Deo.

98. **P**rimò, non expedit vt suam vocationem initio illius, vlli aperiat, præterquam suo Confessario ordinario & stabili, vel alicui alteri simili Patri spirituali, probati spiritus, & viro prudenti ac docto, etiam nõ sacerdoti, si expertus sit, se ab illo bonis consiliis iuuari, & dirigi, & in rebus spiritualibus ac conuersatione ab eo valde ad meliora & perfectiora promoueri. Postea tamen cum scitu & cõsensu sui spiritualis directoris potest patefacere suam vocationem alicui alteri socio probatæ virtutis, vni vel pauculis, si spes sit, per hanc manifestationem se adiutum iri in conseruanda vocatione & vitâ in melius promouenda, per pia mutua colloquia, & honestam conuersationem, ab omni profors leuitate & peccato alienissimam. Solent enim se mutuo iuuare valde, boni & honesti socij, per pia colloquia de mundi vanitate, de præstantiâ virtutis, de felicitate religiosi status, de bonis exemplis & factis Religiosorum, de vitis Sanctorum, de periculis salutis in seculo, de Historiis illius Religionis ad quam aspirant, de præstantiâ eiusdem Religionis, de enormitate cuiusvis peccati, & quantopere sit vitandum; de talibus enim materiis debent colloquia institui ab habentibus vocationem ad statum Religiosorum; quamquam etiam possunt quandoque tractare de studiis, disputare modestè, & proponere dubia.

99. **S**ecundò. Si nunquam fecit Confessionem generalem ex totâ vitâ, faciat eam coram illo sacerdote à quo vult dirigi & promoueri ad ingressum in Religionem: Tantò enim meliùs curat medicus infirmum, & sanum præseruat à morbis, quò pleniùs statum eius & morbos non tantùm præsentis, sed etiam præteritis, etiam sanatos, cognouerit ex ipsomet qui quærit medicinas sanatiuas, vel præseruatiuas, vel corroboratiuas.

100. **T**ertio. Si fecit Confessionem bonam generalem aliquando, ita vt nullum habeat scrupulum, nec videat necessitatem ad quærendam validam absolutionem, aut ad emendandas confessiones præteritas eorum iteratione, sua deo indicare statum vitæ præteritæ quoad duo. **Primò**, quoad peccata præcipua, vel etiam præsentia, (si ea ignorat ille à quo vult dirigi in sua vocatione) **Secundò**, quoad inclinationes suas ad bona & mala, recensendo in particulari ad quæ magis propensus sit. Sic enim meliùs iuuabitur, & Deus magis vtrumque iuuabit in præfenti negotio. Sic S. Ignatius totam vitam suam cuidam religioso aperuit, quando deliberabat

an deberet suscipere Generalatum Societatis, ad quem à suis sociis electus erat. Sic S. Carolus Borromæus omnia peccata vitæ suæ Alexandro Saulio viro sancto detexit, non aliam ob causam, nisi vt eius iuuaretur precibus & consiliis in vita spirituali. Eandem ob causam Ioannes Baptista Vitellius vir sanctus & miraculis illustris S. Philippo Nerio multis ante mortem annis, totam vitam suam manifestauit, & S. Philippus Nerius aliquoties in anno vltimis vite suæ annis, vti ob ipsomet audiui, idem faciebat P. Ioanni Perusco Societatis nostræ: Cùm enim Deus humilibus det gratiam, & magnus actus sit humilitatis, propria peccata (præsertim extra confessionem) alteri aperire, auxiliij spiritualis vel solatij pij causâ, mouetur Deus, ad talem animam per se & per alios dirigendam, vt bonorum propositorum compos fiat citiùs & faciliùs, & cum maiore abundantia gratiæ diuinæ, & feliciori successu suæ vocationis vel deliberationis, sua perficiat.

Quartò. Post hæc facta, tota eius vita quam ducet ante ingressum in Religionem, (multò autem magis postea) tanquam in duobus cardinibus vertatur, in executione moniti Spiritus S. per Psalmistam dati psalm. 36. 23. *Declina à malo & fac bonum*, tum quia hæc duo secularibus & Religiosis sunt omninò necessaria ad salutem & vitam æternam. Ideo S. Ecclesia tum aliàs, tum Dominica tertia post Pascha petit in Missa & in officio diuino: *da cunctis qui Christianâ professione censentur, & illa respicere qua huic inimica sunt homini, & ea que sunt apta* (scilicet bona) *seculari*. Tum quia hæc duo in Religionem sunt obseruanda à Religiosis perfectiùs, (quia sunt in statu perfectionis ad quem tendere debent) & ideò qui Religiosus vult fieri, sensim se debet accommodare, adhuc existens in seculo, ad inchoandam in eo vitam vitæ religiosæ similem, postea cum Religionem ingressus fuerit, perfectiùs instituendam: quia in ea habebit plura & maiora ad id media humana & auxilia diuina; & non habebit hæc impedimenta, quæ habent ij, qui in statu seculari viuunt.

Porro habens vocationem ad Religionem, his modis declinare debet à malo, hoc est à peccato: quia vt ait Abbas Theodorus apud Cassianum: *In rebus humanis nihil malum dicendum est, nisi peccatum solum*. Quod & Cicero solius rationis naturalis ductu agnouit cùm dixit: *Nulum malum esse, nisi culpam*.

Primò. Nunquam amplius vllum peccatum mortale committat, si antea illud committere fuit solitus, tum propter illa motiua (paulo post adferenda) ob quæ alij seculares, nunquam futuri Religiosi, debent illud vitare, tum quia viuendo adhuc in seculo, debent probare in se & experiri, an possint ita viuere sicut Religiosi boni viuunt, qui plus horrent quoduis peccatum mortale, quàm ipsam mortem, & perfectiores

101.

Coll. 6.
cap. 3.
Tuscul. 3.

102.

Religiosi, plus illud detestantur, quam infernum, & mallent detrudi (in gratia Dei existentes) ad infernum, quam perdere Dei gratiam, quam quoduis peccatum mortale ex anima excludit. Quando autem dico vitanda esse peccata mortalia, duo intelligo. *Primo*, completa peccata mortalia, quæ fiunt cum plenâ deliberatione. *Secundo*, etiam illa verba vel facta, quæ non attingunt quidem culpam peccati mortalis, quia procedunt ex primo motu iræ, & sunt indeliberata, habent tamen speciem peccati mortalis. Talia sunt iurare per Sacramenta, imprecari alicui tonitrua vel mortem, aut aliquod aliud infortunium, affirmando aliquid, affirmare illud, per animam, vel in conscientia, vel ut me diabolus rapiat, vel per Deum, & his similia, quia etsi non sint iuramenta, dum non est intentio iurandi, sed simplex asseueratio, tamen horrent pie aures talia, & omnino etiam à talibus abstinendum est.

CAPVT NONVM.

De 5. Motiuis abstinendi ab omni peccato mortali, quia per hoc expellitur ex anima Deus, amittitur ius ad vitam æternam, conspurcatur anima magis quam corpus omnibus sordibus & feditariis abominandis, & fit diaboli mancipium.

103. **P**rimum motiuum. Per minimum peccatum mortale, etiam solâ cogitatione, etiam solo voluntario oblectano aspectu commissum, expellitur ex anima Deus, qui antea in ea habitabat tanquam sponsus eius, illam tenerimè amans, & in ea inhabitans tanquam in suo domicilio sibi carissimo. Qui enim sine peccato mortali est, in gratia Dei, est diuina consors naturæ, ut ait S. Petrus; & per bona opera ac vsum bonum Sacramentorum, crescens in gratia, illamque in se augens, (vt loquuntur S. Paulus Apostolus, & SS. Ignatius & Cyprianus Martyres) promeretur Deum, proinde peccando mortaliter, non tantum perdit gratiam Dei (quæ est donum creatum supernaturale, inhaerens in anima) sed perdit ipsum Deum quem substantialiter & personaliter intus in anima sua inhabitantem, tanquam amicam & sponsum habebat, vt docent Theologi cum S. Thoma & SS. Patres, quos citant. Si haberes aliquod monile aureum, geminâ vel pretioso aliquo lapide insignitum, valoris saltem mille aureorum, & scires te aliquo commisso peccato mortali priuatum iri tali monili, nunquam peccares mortaliter: Ergo peccando mortaliter, plus facis tale monile, quam Deum, quem peccando perdis: cum tamen, vt dicitur Sapientie 7. 8. 9. exemplo Sapientis, proponendus sit Deus, regnum & se-

2. Pet. 1. 4.
Hebr. 13.
16.
Ign. ep. ad
Roman.
Cyp. de
vau. Eccl.

Tb. 1. p. q.
43 a. 3. &
6. & q. 38.
a. 8.
Suar. l. 12.
Trin. c. 5.
nu. 12. &
seqq. Val.
Valq. Cor.

dibus, & diuinita nihil sint duenda in comparatione illius, nec comparandus sit illi lapis pretiosus, & omne aurum in comparatione illius, sit arena exigua, & tanquam lutum estimandum sit argentum, in conspectu illius. Quomodo ergo comparebit in iudicio Dei peccatis mortalibus deditus, quando ei exprobrabitur & à diabolis, & ab Angelis, & ab ipso iudice Deo, quod plus fecerit aurum quam Deum? O ingratus & stulte peccator! An parum est tibi, vt ait S. Augustinus, si te impleat ipse Deus? Deus si ad te veniat sine auro & argento, non vis illum? Quid ergo tibi de his que fecit Deus, sufficit, cui Deus ipse non sufficit? imò cui Deus displicet? Displicet enim illi, quæ mortali quouis peccato expellit à se, & se à Deo magis & magis elongat.

Secundum motiuum. Quouis peccato mortali, perditur ius ad hereditandam vitam æternam & regnum cæleste, quod homo assequeretur post mortem, si moreretur in illa gratia sanctificante animam, (quæ illud ius confert intrinsecè) & verè inhaerente in anima. Cum autem tale ius sit longè maius iure, quod aliquis haberet ad hereditatem regni alicuius, aut saltem ad hereditatem magnam certi dominij, imò quam ingens dominium possessum, habens reditus multorum centenorum milliū aureorum, quotannis percipi solitorum, imò cum bonum gratia vnus (minus iure ad vitam æternam) sit maius bono nature totius vniuersi, vt docet S. Thomas, sicut si talis dominij possessione, se post commissum peccatum mortale sciret priuandum ab aliquo malo vicino vel hoste, vel illud dominium ab eo funditus delendum & annihilandum quodammodo, ob illud peccatum mortale, nunquam illud committeret, & si committeret extremè tristaretur & doleret, & præ dolore somnum capere non posset: ita multò magis abstinere debet à quouis peccato mortali, & dolere debet quilibet eo commissio, quia per illud perdit gratiam, & ius ad vitam æternam & regnum cæleste, quod est maius bonum quam omnia dominia & regna huius mundi. Ideo S. Thomas Aquinas mirabatur, quomodo posset aliquis esse lætus in peccato existens mortali. Meritò mirabatur, quia homines ob minorum rerum iacturam, quam sit iactura Dei & gratiæ eius, tristantur valdè, & quandoque ita tristantur, vt præ tristitiâ moriantur, & aliqui propriis manibus sibi mortem inferant. Ideo magni Sancti, qui etiam sciebant remissa sibi à Deo peccata, illa perpetuò desebant. Dauid, etli certior factus esset à Nathan Propheta de condonatis sibi peccatis, tamen dicebat: Peccatum meum contra me est semper. Et, Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Et Ezechias: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Oportet enim, inquit S. Chrysostomus, recordari nos propria delicta, etiam ea, pro quibus veniam consecuti sumus, (per Confessionem Sacramentalem) vt insuauentes quod ingen-

104.
Conc. 3. in
Pfal. 30.

105.

1. 2. q. 113.
a. 9. ad 2.

106.

2. Reg. 12.
13. Pfal.
50. 5. Pf. 6.
7.
Pfal. 38. 15.
lib. 2. de
compunct.
cord. in fi.
ac.